



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1663

S. Benno Episc. 16. Iunii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41940

378 VITÆ SANCTORUM. 16. Iunii.
charum habebat. Ob id tristiori in som-
nis bonus genius astitit, & malum so-
cium à peioribus geniis ad inferorum
flammas abripi monstrans, *Heus*, aje-
bat, *an & nunc socius huic eris?* Enim-
verò non placuit jam Theseum esse, Piri-
thoo ad orcum abeunte. Damnat proin-
de vitam pristinam, ter supplex ad DD.
Apostolorum it limina, & post extracta
compluria cœnobia, & *Magna Matri*
templum, post edita miracula, sub an-
num DC. L. cilicio, & cineri incubans,
sanctè emoritur. Ubi tunc socii olim
peccantis? crede iterum *Landelino*, quis-
quis cum pluribus peccas, aut solus fle-
bis, aut serò flebis. *Ex Surio.*

*Melius est habere malorum odium, quàm
consortium: sicut bona multa habet com-
munis vita Sanctorum; sic plurima mala
societas affert malorum.* Isidor. lib. 2.
soliloq.

& BENNO EPISC. 16. Iunii.

BENNO ex illustri Saxonum sanguine
monachus, ex monacho Misnensium
Pontifex, Slavos sub Christi jugum egit.
Captus bello Saxonico ab Henrico IV.
Imp. & libertati restitutus, Romam a-
biit, pars magna illic Concilii futurus:
inde redux templi sui claves, quas in
Albim, cum iter ingrederetur, abjece-
rat, in pisce recepit: pedo aquam è ter-
rà,

16. Iunii. VITÆ SANCTORUM. 379
râ, precibus ex aquâ vinum dedit; sibi
per undas viam stravit: manibus Cæli-
tum non semel ad suos per magna itine-
rum spatia compendio est transportatus.
Misniæ Marchionem, quo die alapam
ab eo acceperat, hoc eodem, anno ver-
tente, moriturum dixit, & vatem fuisse
mors minimè mendax ostendit. Claruit
innumeris semper miraculis, tum præ-
cipuè, postquam Monachium Bojorum
caput translatus est. Ibi ille pugnantem
in se populi pietatem beneficiis quotidia-
nis certat vincere, certamine hoc etiam
iucundiore, quòd clientes vel victi
triumphant. *Ex Hieron. Emsero.*

*Cogita peregrinationis tuæ miseriam,
cogita vitæ humanæ pericula, cogita fra-
gilitatem propriam; & ejusmodi cogitatio-
ne, si perseveraris, parum senties quic-
quid foris videtur molestum. S. Bern.
serm. de om. SS.*

S. TYCHO EPISC. 16. Iunii.

Damus Euclionibus mancipiis pecu-
niæ rei augendæ magistrum docto-
remque gratissimæ artis, qua granaria
frumento stipentur, numulque in arcâ
crescat. TYCHO IS est, ætate puer, sed
cano sensu; avari parentis filius, multò
tamen peritior pecuniariæ venationis,
quod vel hinc intelligas. Pater oneratum
panibus in forum miserat. Puer indig-
nâ-